Quelle: https://manuscripta.at/?ID=916
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

nomine. qui hunorum exercitum contra eos venturum bawaris nunciari fecit. rogans eos sibi in auxilium venire. At illi cum magna festinatione venientes expugnaverunt hunos et obfirmaverunt quarantanos. servitutique eos regum subiecerunt. similiter et fines eorum. Duxeruntque inde obsides secum in bawariam inter quos erat filius boruth nomine karastus quem pater eius more christiano nutriri et baptizari postulavit. quod ita factum est. Similiter de cethimaro filio fratris sui fieri rogavit. Mortuo autem boruth. iussu francorum bawari karastum christianum factum petentibus eisdem sclavis remiserunt et illi eum ducem fecerunt. sed postea ille tertio anno defunctus est. Iterum autem permissione domini pippini regis populis iterum petentibus cethimarus ducatum suscepit. Suggerente vero quodam presbytero nomine maiorano. qui clericus in iuvavensi monasterio manus impositione acceperat. quem secum propter doctrinam christiane religionis detinuit. ad iuvavense monasterium specialiter caput suum in servicium dei declinavit. singulis annis quamdiu vixit. in signum subiectionis sue aliquod obsequium illud persolvendo. Pacis autem aliquantis temporibus prenominatus dux karantanorum petiit sanctum virgilium episcopum visitare populum gentis illius eosque in fide firmiter confortare.